

A P P R O B A T I O.



IX commissione Perillustris Admodum, ac Reuerendissimi Domini Episcopi Oscensis, Conuentus nostri Patroni, volumen istud diligenter euoluimus, imò voluptuose comedimus, nec amaricauit in ventre, nec dentes obstupuerunt inscriptionis acerbitate, Apologia titulo. Enimvero si in dies tumultuosus pullulat impugnator; cur desit doctrinae D. Thomae modestissimus defensor? Tanta enim est Angelici Doctores excellentia, ubertas, subtilitas (quis enim subtilior Angelo?) ut sicut in laudem Augustini Patris dixit Volusianus. Legi Dei deest, quidquid Augustinum contigerit ignorare. Ita & in elogium S. Thomae dicemus. Theologiae diuinae deest, quidquid Angelicus Doctores non perlustrauit. Apologeticus noster Auctor R. P. M. Fr. Ioannes Biescas Primariae Cathedrae Antecessor meritiissimus semper, tam emeritus, in hoc opere de thesauro suo protulit noua & vetera, quasi veteranus dux, uti nouus praeliator, differens antiqua nouiter, & antiquitus noua, à soliditate scholae S. Thomae nunquam deflectens. Insignem Doctorem hunc Vniuersitatis nostrae splendidissimum sydus primae magnitudinis venerati sumus; sed nunc in hac Apologia admirati elaritatem ingenij sui, qua difficilia quaeq; adeo luculenter explicat, ut iam deinceps per ipsum futura sint praua in directa, & aspera in vias planas: copiosam breuitatem cum claritate compendiosa D. Thomae ita assequitur, ut ipsissimum D. Thomam mire exprimat: nec solam in hoc volumine Theologiam primae partis explanat: plures, quae ad alias partes Angelicae summae attinent, materias expendit, & perficit: bonam Philosophiam, veram Metaphysicam Thomisticam, non prolixè, nec cursim, sed mediocri stylo exagitat, vindicat, illustrat. Patienter lege quoscumq; ambicius oculus mentis concupiscit flores, guttur fructus pulchros ac dulces: si enim patientiam habueris in seruo bono, omnia reddet tibi; omnes de re Theologica benemeritos, & sacrae Scripturae Professores erudiens, & contradictores arguens. Cum ergo opus sit praestantissimum, nihilq; contineat fidei Catholicae aduersum, aut Primae Sedis diffinitionibus contrarium, optimisue moribus dissonum, sed doctrinam sanam, piam, claram, & sanctis Patribus concordem; dignissimum typis in Dei gloriam, & communem omnium utilitatem censemus. In Conuentu S. P. N. Augustini Oscensis, die 4. Iulij 1634.

Magister Fr. Baptista Lisaca & Maça
Conuentus S. Augustini Oscensis Prior,
& Scoti Cathedrae Antecessor.

Magister Fr. Andreas Estrada, sanctae
Inquisitionis Qualificator, sacrae
Scripturae Interpres, Prouinciae
Aragoniae primus Diffinitor.

L I C E N T I A.



DON FRANCISCVS NAVARRO DE EVGVI, Dei, & Sanctae Apostolicae Sedis gratia Episcopus Osceñ. Regiusq; Consiliarius, &c. Vissa Doctorum Theologorum Approbatione, librum, qui inscribitur: *Apologia pro doctrina S. Thomae Aquinatis, Ecclesiae sanctae Doctores Angelici*, Auctore Fratre Ioanne Biescas sacri Ordinis Praedicatorum, in sancta Theologia Magistro, ac Oscensi Academia eiusdem facultatis Primario, in lucem edi permittimus. Dat. in nostro Episcopali Palatio Osceñ. die 4. Iulij, Anno 1634.

Franciscus Episcopus Osceñ.

Admodum Illust. & Reuerendis. Dñi mei Episcopi mandato,
Ioannes Gaspar de Perisanz Secret.